

art. 3. Raynerius de Pisis tom. 1. verb. *divortium*, tit. 1. num. 4. & seqq. Mauritius de Lezana tom. 1. verb. *divortium*, num. 7. Salmant. tom. 2. tract. 9. cap. 16. punct. 1. & seqq. Reding tom. 8. q. 7. art. 2. Controv. 1. & seqq.

52. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 35. q. 1. Mastrius in 4. disp. 7. q. 22. art. 1. Macedo de Clavib. tract. 6. de Matrim. cap. 8. Portel in dub. Regular. verb. *divortium*, num. 1. & seqq. Cotonius tom. 1. lib. 5. Controv. 2. cap. 3. q. 1. & seqq. Castillenus in Polyantb. Seraph. verb. *divortium*, diff. 6. Brancatus de Laureâ disp. 42. de Matrim. art. 2. & seqq. Hiquæus in 4. dist. 33. art. 1. & seqq.

53. Ex Scholâ Eximiâ Dicastilo tom. 3. tract. 10. disp. 10. dub. 6. Henriquez lib. 11. cap. 17. Sanchez de Matrim. lib. 10. disp. 12. num. 31. Reginal. de Matrim. lib. 31. num. 324. Coninch. disp. 35. de Matrim. num. 2. Tambur. tom. 2. tract. 7. de Matrim. lib. 8. cap. 3. §. 4. & seqq. Carleton tom. 2. disp. 105. sect. 1. & 2. Mart. Perez disp. 56. sect. 2. Layman tract. 10. punct. 3. cap. 7. num. 1. & seqq.

54. Ex aliis D. Bonaventura in 4. dist. 35. q. 1. & seqq. Averfa de Matrim. q. 23. sect. 2. Basilius Ponce cap. 33. num. 7. Bonacina q. 4. punct. 5. num. 10. Bassæo tom. 2. verb. *divortium*, num. 4. & seqq. Baudunius tom. 3. q. 20. de Matrim. art. 1. & seqq. Gavardi tom. 6. q. 3. de Matrim. art. 9. & 10.

55. QUÆST. 2. An *divortium* sit licitum, & quas ob. causas? De quo, dist. 33. quest. 4.

56. QUÆST. 3. An possint, ac debeant conjuges *divortiri*? De quo, dist. 33. quest. 5.

57. QUÆST. 4. An adulterium sit semper causa sufficiens ad *divortium*? De quo, dist. 33. quest. 6.

58. QUÆST. 5. Ad quorum relationem, & testificationem *divortium* fieri debeat? De quo, dist. 33. quest. 4.

59. QUÆST. 6. An *divortium* differat à repudio? De quo, dist. 33. quest. 4.

60. QUÆST. 7. An & cur potius ex fornicatione, quam ex peccato alio *divortium* fieri debeat? De quo, dist. 33. quest. 6.

61. QUÆST. 8. An viro petente *divortium*, teneatur uxor in omnibus casibus excipere contra eum? De quo, dist. 33. quest. 6.

62. QUÆST. 9. An sicut in *divortio* vir & uxor ad paria iudicantur; sic in repudio iudicari debeant? De quo, dist. 33. quest. 6.

## DE IMPEDIMENTO CONDITIONIS.

## DISTINCTIONIS TRIGESIMÆ-SEXTÆ SYNOPSIS.

Quomodo conjugium impediatur servum esse, quotoque, Cuique anno liceat fœdus inire tori.

Sic incipit: Nunc de Conditione.

Sic terminat: Et primum de ordine.

1. **C**onnectitur hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de *divortio* fornicationis vitio celebrato, & hætenus in antecedentibus distinctionibus de impedimentis, quæ Matrimonium ipsum anteverunt, aut subsequuntur; sed in præsentī jam determinat de iis, quæ contingunt in ipso matrimoniali contractu; & primò de impedimento erroris conditionis servilis: igitur hæc distinctio connectitur cum superiori.

2. Consequentia probatur: Quemadmodum prius est agere de essentiali Matrimonii, quam de illius causâ materiali, sive personâ ipsum contrahente; sic prius est determinare de impedimentis, quæ Matrimonium ipsum immediatè attingunt, quam de iis, quæ conferunt ad causam materialem, sive personam; sed Magister hætenus agit de impedimentis, quæ Matrimonium immediatè attingunt, dum de antecedentibus, & subsequentibus ipsum determinat: ergo modò disserere de impedimentis, quæ ad ipsius causam materialem, sive personam conferunt, & primò de erroris conditionis servilis impedimento, reverà est rectum servare ordinem.

3. dividitur præsens distinctio in duas præcipuas partes. In quarum primâ Magister ostendit impedimentum Matrimonii ex parte erroris conditionis servilis. In secundâ verò, & ultimâ detegit impedimentum ex parte defectus ætatis.

4. PRO PRIMÆ igitur partis clarâ indagine, hæc prima proponitur thesis: Error conditionis servilis legalis, sive iure gentium introducta irritat Matrimonium. Quam seriò statuit Magister, dum resolvit,

quod mulier libera servum ducere potest; similiter & vir libertate fruens, ancillam. Si ergo libero de servitute alterius constitit, fixum, constansque erit Matrimonium; sin autem deceptus est, dimittere potest inunctum sibi conjugem postque scire incipit; sive error conditionis servilis irritat Matrimonium.

5. Probat primò Magister ex Concilio Vermeriano, & habetur dist. 29. quæst. 2. cap. 8. *Si femina*, dicente: *Si femina ingenua acceperit servum, sciens quod servus esset, habeat eum; quod si nescierit illum servum esse, non cogitur manere cum ipso.* Ergo cum idem sentiendum sit de viro libero ducente uxorem servam, ac de muliere liberâ cum servo Matrimonium contrahente; si ingenuus homo acceperit servam, sciens quod talis esset, hic conditionis servilis error non irritat Matrimonium; secus si nescierit illam esse servam, & noluerit manere cum eâ.

6. Secundò, id ipsum diffinit ex Zachariâ Papâ ibidem, cap. *Si quis liber*, asserente. *Si quis liber ancillam in Matrimonio acceperit, non habet licentiam dimittendi eam, si consensu amborum conjuncti sunt, nisi ob fornicationem.* Ergo dum libertate fruens, ancillam in Matrimonio accipit, si consensu amborum conjuncti sunt, tenet Matrimonium, cum non possit eam dimittere, nisi fornicationis vitio: ergo è contra, dum ingenuus ancillam ducit, & ipsi de alterius servitute non constitit, postquam scire incipit, potest eam dimittere, aliamque ducere.

7. Tertio, ex appositis ratione suaderi poterat. Quod bono Matrimonii opponitur, reverâ ipsum impedit Matrimonium; sed error conditionis servilis opponitur Matrimonii bono, scilicet proli procreandâ; igitur conditio servilis cum errore Matrimonium impedit. Minor probatur: Dum ingenuus cum ancillâ contrahit, filii non sunt liberi, sed servi, juxta illud Juris satis inculcatum axioma, partus sequitur ventrem, sed servitus est contra bonum prolis, & libertas in illius favorem: ergo conditionis servilis error opponitur Matrimonii bono; ac proinde ipsum retardat.

8. Quarto: Quod versatur circa bonum fidei, etiam enervat Matrimonium, sed conditionis servilis error contra bonum fidei versatur: igitur Matrimonium enervat. Minor probatur: Dum quis contrahit cum servâ, potest dominus illam alienigenis, sive infidelibus vendere, ipso viro reluctante; sed si vir in hoc statu talem sequeretur uxorem, immineret ipsi periculum fidei; si verò non sequatur, non potest petere, nec reddere debitum: ergo quia conditionis servilis error versatur contra bonum fidei; sed quod bono fidei refragatur, jure optimo Matrimonium retardat: ergo error conditionis servilis irritat Matrimonium,

Quin-

6. Quintò: Non est consonum rationi, imò maximopere dissonum, quod quis sine culpâ puniatur, ipso reluctante, aut ignorante; sed quod quis sit servus, sive personâ servilis subiciatur, ipso reluctante, aut nesciente, censentur ab omnibus probrum, maximumque dedecus: ergo cum Matrimonium contractum errore conditionis servilis hæc inducat crimina, non poterit esse validum, nisi post cognitionem erroris consentiat verbo, aut facto.

10. Sed oppones: Conditio servilis nec reddit personam illegitimam ad contrahendum Matrimonium, nec aufert ab ipsâ posse plene ac liberè consentire; sed ut Matrimonium validè subsistat, nihil amplius exigitur ultra personâ legitimitatem, & ejus consensum liberum: igitur conditionis servilis error nec retardat Matrimonium contrahendum, nec contractum dirimit.

11. Respondetur, quod licet conditio servilis per se Matrimonium non impediât, dum libero de servitute alterius constitit, eò quod quilibet pro suo libero arbitrio valeat effici servus; nihilominus error conditionis servilis impedit, cum non debeat puniri nolens sordidâ quadam labe, sive injusto quodam crimine.

12. His prælibatis, duo in litterâ Magister excitat dubia. Primum est: An, si unius domini servus ducat alterius domini ancillam, verum ac validum inter ipsos teneat connubium? Cui satisfacit Magister affirmativè, dummodò utriusque domini prius exquiratur consensus; tametsi aliquibus placeat, quod etiam dominis nescientibus, aut reluctantibus verum valeat celebrari connubium.

13. Quod primò probat Magister ex Concilio Cabilonensi cap. *dictum est*, per hanc concinnam verborum seriem: *Nobis visum est, ut conjugia servorum non dirimantur, etiamsi diversos dominos habeant. Sed in uno conjugio permanentes dominis serviant suis. Et hoc in illis observandum est, ubi legalis conjunctio fuit, & per voluntatem dominorum.* Ergo sat Concilii mens iis detegitur verbis, quod potest esse validum conjugium inter virum & feminam, estò ambo servilis sint conditionis, dummodò voluntas dominorum utriusque accesserit; imò secundum alios dominis etiam dissentientibus.

14. Secundò ratione probatur: Etsi servi contrahant Matrimonium invitis dominis, nulla suppetit ratio pro illius dissolutione: ergo adhuc reluctantibus dominis possunt servi ipsi validum contrahere Matrimonium. Antecedens probatur: Eadem munia, servitiaque assuetâ dominis suis reddere possunt servi post contractum Matrimonium, ac antea: ergo nulla efficax apparet ratio, quæ possit inter servos Matrimonium

127

relaxare, etiamsi illorum domini dissentiant.

15. Tertio: Non tenetur servus urgentius obedire domino, quam filius Patri; sed circa Matrimonii contractionem non tenetur filius obedire Patri, ita ut ipso reluctante non possit liberè ducere uxorem: ergo nec tenentur servi suis dominis obedire in eò, quòd non possint plius reluctantibus validum contrahere Matrimonium.

16. Quarto: Servitus legalis, seu jure gentium introducta est de jure positivo, & Matrimonium de jure naturali; sed jus positivum non præjudicat, nec impedit naturale jus: ergo nec servitus, quæ est de jure positivo, poterit retardare Matrimonium, quod est de jure naturali: ergo nescientibus, aut dissentientibus dominis possunt eorum servi validum ac licitum Matrimonium contrahere.

17. Sed oppones primò: Servi nequeunt fieri Religiosi suis dominis contradicentibus: ergo nec Matrimonium contrahere ipsis dissentientibus. Consequentia probatur: In majori pretio habetur, quòd quis se obliget Deo per votum solemne castitatis, quam uxori per Matrimonium; sed nequeunt servi se obligare Deo per votum solemne castitatis ipsis dominis dissentientibus: ergo nec Matrimonium contrahere dum ipsorum domini obnituntur.

18. Respondetur cum Seraphico Doctore hic concessio Antecedenti, negando Consequentiam. Quia in statu religioso non possunt servi dominis suis obedire; secus in conjugali statu, nam Religiosus omninò subicitur Religionis præcepto quantum ad omne tempus; ideoque ab omni alià absolvitur potestate; at in conjugali statu possunt in omnibus servi sui obedire dominis, cunctaque ipsis reddere obsequia; atque adeò illis reluctantibus valet Matrimonium contrahere, non verò Religionem intrare.

19. Oppones secundò: Ad sacros ordines nequit promoveri servus invito domino: ergo nec Matrimonium contrahere ipso obnitente. Consequentia probatur: Sicut servus per ordinis sacri susceptionem constituitur in statu sacerdotali; sic per Matrimonii contractionem constituitur in statu conjugali; sed reluctante domino nequit servus promoveri ad sacros ordines, constituique in statu sacerdotali: ergo nec poterit contrahere Matrimonium, sive in conjugali statu constitui ipso obnitente domino.

20. Respondetur negando Consequentiam, & probationis simile. Nam eò ipso quòd quis sacris initiatur ordinibus, illicò statuitur liber, & cum non possit, nec debeat auferri jus domini, quod habet in servum, ipso reluctante, nequit servus sacris initiari ordinibus, dum volun-

lun-

tas domini his adversatur; at Matrimonium valet contrahere, quia per illud non fruitur libertate servus, sed in suà legali servitute manet, & tenetur eadem domino præstare obsequia, ac si Matrimonium non contraxisset.

21. Oppones tertio: Vir tenetur reddere uxori debitum, dum ipsa petit; sed si servus duceret uxorem domino nesciente, aut reluctante, posset uxor petere viro debitum, & hunc reddere non teneri: ergo invito domino ducere uxorem non valet servus. Minor probatur: Posset dominus exquirere obsequium à servo, dum etiam uxor debitum peteret; sed nequit reddere simul obsequium domino, & uxori debitum, eò quòd impossibile appareat: ergo cum nullus possit ad impossibile se obligare, non poterit servus repugnante domino Matrimonium contrahere.

22. Respondetur negando Consequentiam. Ad probationem negotium iterum Consequentiam. Quia, cum Matrimonium sit contractum à servo, ipso contradicente domino, ut supponimus, & hic suo non debeat privari jure; ex utraque parte pari imminet periculum ex parte uxoris, eò quòd timeat in fornicationem prolabi, & non timeat graviter offendere dominum, tenetur juxta charitatis divinæ legem prius debitum uxori reddere, quam domino suo obsequium præstare. Unde, cum uxor sciat, quòd contrahit cum servo, ipso obnitente domino, & è contra, sibi præjudicat, ut jus petendi non habeat, quando obsequia exquiruntur domino.

23. Oppones quarto: Vi mutui consensùs contrahentis Matrimonium, potestas corporis viri transfertur in uxorem, & è converso; sed vi servitutis legalis, sive jure gentium introductæ servus non habet potestatem sui corporis, sed dominus: ergo renitente domino non potest servus Matrimonium contrahere; aliàs conferret uxori quod suum non est, sed proprium domini.

24. Respondetur negando Consequentiam: Quia ex vi matrimonialis contractus non transfertur in uxorem potestas corporis viri simpliciter, nec è contra, cum uxor non dicatur domina viri, nec vir uxoris dominus; transfertur enim quoad actum conjugalem, respectu cuius nullam super servum potestatem habet dominus, tametsi respectu aliorum actuum maximà ac singulari super illum potestate potatur; quòd revera Matrimonium retardare non valet.

25. Secundum à Magistro excitatum dubium est: An, si vir conjugatus se in servum vendat, ut ita ab uxore liberari possit, Matrimonium

dis-

dissolvatur? Respondet negativè Magister; quia nec vir ex hac causâ potest uxorem dimittere; nec illa ob Matrimonii vinculum valet in servitutem redigi; eò quòd ille non ex consensu uxoris servum se fecerit.

26. Hoc etenim probat primò Magister ex quadâm Triburicensis, Concilii cap. *Perlatum*, decisione, his verbis: *Judicatum est, uxorem minimè debere dimitti, nec ipsam in servitutem redigi, cum ille non ex consensu conjugis se servum fecerit, quem liberum ipsa maritum accepit.* Ergo dum vir libertate fruens servum se facit absque uxoris suæ consensu, nec ille ab uxore valet separari, ut sic eam dimittat, nec ista debet fieri serva, ut maneat cum eo.

27. Secundò ratione: Matrimonium semel celebratum inter legitimas personas nequit dissolvi, ut multoties cum Magistro inculcavimus supra: ergo servitus legalis, seu jure gentium introducta, quæ Matrimonium consequitur, non poterit illud dirimere: ergo dum vir non ex mulieris consensu se servum facit, quem liberum ipsa maritum accepit, nec poterit eam dimittere, nec ipsa in servitutem redigi.

28. Tertiò probatur: Servus contrahens contra voluntatem domini non potest facere contractum conjugalem in præjudicium domini: ergo nec vir poterit seipsum in servum vendere in præjudicium uxoris; sed si vir seipsum in servum venderet, ut ita ab uxore liberari posset, manifestè ageret in uxoris præjudicium: ergo licet vir seipsum det in servum; nec poterit hac de causâ uxorem dimittere, nec illa in servitutem redigi.

29. Sed oppones primò ex illo D. Pauli 1. Corinth. cap. 6. *Non estis vestri; empti enim estis pretio magno;* sed qui sui non est, non potest seipsum in servum vendere: ergo cum vir sui non sit, non poterit absque uxoris consensu seipsum in servum vendere: ergo dubium propositum à Magistro sub nullâ seriâ discussione cadit.

30. Respondetur, quòd venditio dupliciter contemplari valet, nempe, vel ad hominum servitium, vel ad Dei obsequium; & cum obsequium homini præstitum; sive corporalis servitus servitio divino non adversetur, sed duntaxat servitus spiritualis, quæ est peccati servitus; idèò, quanvis fideles redempti sint pretioso Christi sanguine, factique Dei templa, possunt se vendere, ut obsequia hominibus præstet; non verò ut faciant mala; sicque dubium à Magistro in litterâ appositum, sublimâ & lite jure optimo comprehenditur.

31. Oppones secundò: Pater nequit distrahere prolem suam relincente Matre: ergo nec vir se vendere in servum uxore dissentiente. Antecedens probatur: Partus plùs sequitur Matrem, quàm Patrem, juxta illud,

illud, partus sequitur ventrem: ergo quia Pater non potest distrahere prolem suam dissentiente Matre: ergo nec vir se vendere in servum uxore reluctante, cum non habeat sui corporis potestatem; sed dum vir nequit seipsum in servum vendere, ineptè exquiritur à Magistro, an dissolvatur Matrimonium, si vir conjugatus in servum se vendat: ergo incassum hoc excitat dubium Magister.

32. Respondetur negando Antecedens, & illius probationem. Nam, etsi filii à Patre nec debeant, nec possint distrahi absque culpâ, aut crimine aliquo gravissimo; tamen tanta poterit esse paupertatis, sive famis necessitas, quòd teneatur Mater assentiri judicio Patris, ut filii distrahantur; in alio verò casu, etsi velit, non potest Pater vendere filium Matre obnitente; sicut nec alienare dotem uxoris, quanvis sit dominus domûs. Semper autem potest seipsum vendere in servum, quin ex hoc dissolvatur Matrimonium, nec uxor valeat in servitutem redigi, eò quòd vir non ex uxoris consensu servum se fecerit. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

33. PRO SECUNDÆ, & ultimæ distinctionis partis declaratione, hæc secunda præfigitur thesis: *Pueri & puellæ non possunt jure Matrimonium contrahere ante legitimam ætatem.* Hanc proponit, & resolvit Magister quæstionem, dum viri & femina: pro Matrimonio contrahendo sancit secundum leget ætatem. Nam pueri ante decimum quartum annum, & puellæ ante duodecimum, secundum jus Canonicum, ex cap. 1. *puberes*, & cap. *ex litteris*, non valent Matrimonium contrahere.

34. Quod sic primò suadere tentat Magister: Nequit quis contrahere Matrimonium, nisi juxta id quod extat sancitum ab Ecclesiâ; sed qui contrahit Matrimonium ante legitimam ætatem, non contrahit juxta Ecclesiæ sancitas leges: ergo ante legitimam ætatem nequeunt pueri & puellæ Matrimonium contrahere. Minor probatur: Dum puer ante decimum quartum annum, & puella ante duodecimum contrahunt, reverà ante legitimam ætatem contrahunt; cum hoc tempus secundum leges necessariò requiratur: ergo qui sic contrahunt, contra Ecclesiæ decisionem contrahunt; ac per consequens nullum verum ac validum Matrimonium perficere poterunt.

35. Secundò ex ipso probatur Magistro: Etsi pueri & puellæ ante prædicta tempora copulam inierint, separari possunt, quanvis voluntate, & assensu parentum conjuncti fuerint; sed si Matrimonium contraherent intra legitimam ætatem sancitam ab Ecclesiâ, non possent separari: ergo quia Matrimonium contractum ante legitimam ætatem jure canonico est nullum,